



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 40. Hieronymi Savonarolæ initia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

ret, ubi reliquos vitæ suæ dies in poeni-
 tentiæ studio transigere decreverat. Id
 ut exequi ipsi licitum foret, Ardici-
 nus supplex Innocentii pedibus provolve-
 batur, a quo ægre admodum id, quod
 postulabat, tandem impetravit; unde
 hoc anno obtenta libere Romam exceden-
 di copia, nonnisi unico stipatus famulo
 clam abiit, peregrina veste indutus, ne
 forte ab aliis dignosceretur: ast Cardina-
 les brevi rem edocti, neo-electum Pon-
 tificem conveniunt, tantaque verborum
 vi confratrem suum revocari postulant,
 ut Papa illorum precibus se flecti sineret.
 Scripsit autem Ardycinus epistolam stylo
 ad permovendum summum Pontificem
 maxime apposito, supplicans, ut in sua
 solitudine permanere, ac cæptum vitæ
 monasticæ propositum exequi sibi liceret:
 ast surdas pulsabat aures; unde Romam
 reverti compulsus, perfectissimi Præsu-
 lis exemplar factus, ibidem anno mil-
 lesimo quadringentesimo nonagesimo ter-
 tio sancto sine quievit.

§. XL.

Hieronymi Savonarolæ initia.

Ingens sanctimonix fama, quam sibi
 Hieronymus Savonarola Ord. S. Do-
 minici conciliaverat, hoc præcipue an-
 no longe, lateque inclaruit. Hic anno
 Domini

*In apolog.
 Hier. Savon.
 a Joan.
 Franc. Picci
 Mirand. ne-
 pote.*

Sæcul. XV.

A. C. 1492.

Domini millesimo quadragesimo quin-
 quagesimo secundo die vigesima prima
 Septembris Florentiæ Nobilibus paren-
 tibus natus, institutum S. Dominici die
 vigesima quinta Aprilis anno salutis se-
 ptuagesimo quinto supra millesimum qua-
 dringentesimum professus est, ubi sacris
 suis concionibus, maxime vero rerum
 futurarum prædictione summam apud
 omnes existimationem sibi comparabat.
 Dein Florentiam a Joanne Pico Miran-
 dulano Comite vocatus, Apocalypsim
 B. Joannis Apostoli e suggestu publice ex-
 plicavit, prædixitque renovationem Ec-
 clesiæ iis temporibus futuram, illam ta-
 men prius gravissima calamitate esse pur-
 gandam, brevique id eventurum asere-
 bat. Haud dubitari valet, hunc virum
 singulari spiritu fuisse præditum, atque
 ob egregia pietatis merita omni laude dig-
 nissimum: an vero vaticinandi dono illu-
 stris, ejusque oraculis veritas facti con-
 stiterit, in dubio relinquimus: interim
 dixisse sufficiat, in eo potissimum deside-
 rari, ut in objurgandis Ecclesiasticorum
 moribus majori moderatione, ac parcio-
 ri adversus Alexandrum VI. linquæ licen-
 tia usus fuisset; hac enim imprudentia
 brevi plurimorum invidiam sibi accersivit.